

*remittens iniquitatem & peccatum: Absolvendo tamen, (nocentem,) non absolvet, visitans iniquitatem patrum super filios, & super filios filiorum, in tertiam & quartam generationem, Exod. XXXIV, 6, sq., in quo oraculo, quasi commentarius aliquis continetur supra a nobis traditæ Nominis divini descriptionis. Quod vero idem in nostro quoque Psalmo LXXV lateat, atque aliunde etiam ex sacris literis demonstrari possit, hoc nunc restat, ut exponatur. Enim vero Assaphus illum, cujus nomen dicitur esse propinquum, primum in singulari numero alloquitur, הֲדַיְנִי לְךָ, quo ipso satis luculenter indicat, se ad Deum unum dirigere orationem suam. Pergit deinde idem Psaltes, ac postea, continuans suam orationem, vocabulo utitur pluralis numeri, אֱלֹהִים, quo ipso, ad Deum simul unitrinum suas se convertere preces, clarissime demonstrat. Etsi enim vocabulum אֱלֹהִים in sacro Codice, nunc omnes tres personas sacrosanctæ trinitatis manifesto denotet, nunc speciatim ponatur pro duabus personis, nunc pro persona una, semper tamen hoc posterius fit cum connotatione omnium trium personarum, certe cum relatione ad omnes tres personas. Ipsa vox אֱלֹהִים, quoniam hoc loco non tantum in sensu absoluto ponitur, sed & cum addito quodam attributo divino, tam omnipræsentia, quam aliorum, quæ per vocabulum קָדוֹב indicantur, de quo tamen infra pluribus agendum, quid aliud, quam ipsum Deum unitrinum significat? Patet illud, cum aliunde, tum vero in primis ex Deut. XXVIII, 58, ubi dicitur הַשֵּׁם הַנְּכֹבֵד וְהַנּוֹרָאִי, nomen gloriosum & terribile, explicaturque statim in verbis proxime consequentibus, אֵת יְהוָה אֱלֹהֵינוּ, per ipsum Deum unitrinum, confer & Psalmum XX, 2, & CXIII, 1, & CXV, 1, & loca longe plura alia Scripturæ Sacræ. Quod proinde apud*

Jer.